



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

12. De vectigali ex beneficiis pe[n]di solito; quod vulgo quindennium
appellant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

gratis spirituale dar, iure quoque gratis debet, quod est in beneficio temporale necessario cum ipso spirituali iure coniunctum, quod est dicere: sicut Clerico vendere non potest Ordinem quem confert, sic nec mercedem omnino illi ob sacrum Ordinis ministerium debitam. Ac proinde nequit Papa ius a iuri in beneficio conferre, & subtrahere mercedem, aut proportionem ipsi necessariam ad vitam: bene tamen, quo suis alios fructus vite minime simpliciter necessarios potest alteri reservare. Quin & ipsius Clerici consensu, cui beneficium confertur, potest portionem fructuum vite necessariam subtrahere, quia Clericus sponte potest suo iuri cedere.

Secundo quaeritur, An vbiq; hoc est, in omnibus Christiani orbis Ecclesijs solvatur Annata? Respondeo, extare Constitutionem Nicolai V. quae incipit: *Ad sacram Petri sedem*, in qua constituitur, ut in Germania Cathedralibus Ecclesijs, & Canobis virorum duntaxat, solvantur pro annatis ex fructibus primo anno colligendis a die vacationis, summa pecuniarum in libro Camera Apostolica taxata: quae communia servitia dicuntur. De cetero Dignitatibus, Personalibus, Officijs, Beneficijs Secularibus, vel Regularibus, quae auctoritate Apostolica conferuntur, solvantur medij fructus iuxta estimationem taxari solitam a tempore professionis intra annum. Et quod debitum huiusmodi in successorem non transeat. In Gallia vero primo Pragmatica sanctio, in Bituricensi Conventu, auctoritate Caroli VII. huius nominis Francorum Regis constituta approbavit, quod Synodus Basiliensis sessione vigesima prima, de annatis decreverat in hunc modum: *Sacrosancta Generalis Synodus Basiliensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam representans, ad perpetuam rei memoriam statuit, quod iam in Curia Romana, quam alibi, pro confirmatione electionum, admissorum, postulationum, presentationum, provisione, collatione, dispositione, electione, postulatione, preservatione, etiam a laicis faciendis instituti, ne, in installatione, & investitura de Ecclesijs etiam Cathedralibus, & Metropolitans, Monasterijs, dignitatibus, beneficijs, officijsque Ecclesiasticis quibusvisque: nec non Ordinibus sacris, & benedictione, & pallo. De cetero nihil penitus ante, vel post exigatur ratione litterarum, bullae, sigilli, annatarum communium, & minutarum, seu viciorum primorum fructuum, depozitorum, aut sub quocumque alio titulo, colore, vel praetextu cuiusvis consuetudinis, privilegij, vel statuti, aut alia quavis causa, vel occasione, directe, vel indirecte solum Scripturis, Abbreuiatoribus, & Registratoribus litterarum seu minutarum pro ipsorum labore competentis solario soluendo. Hinc autem sacro Canonis si quis exigendo, dando, vel promittendo, contrahere quid praesumpserit, peccatum incurrat aduersus Simoniacos infidelitatem, & in ipsis dignitatibus ac beneficijs, aliter obtentis nullum ius, ac titulum acquirat. Obligationes quoque promissiones, & censuras, ac mandata, & quicquid in prauidicium decreti huius saluberrimi fieri contingerit, nullas obineat vires, atque omnia irrita censentur. Et si (quod absit) Romanus Pontifex, qui praeter ceteris, vniuersalium Conciliorum exequi, & custodire Canones debet, aduersus hanc sanctionem aliquid faciendo, Ecclesiam scandalizet. Generali Concilio deferatur. Haec ibi.*

Sed hoc Basiliense decretum, quatenus Pontificis & Romanae Curiae auctoritati nonnihil derogare videtur, ratum & firmum non est: nec est, cur Duarenus, & Gomas illud magnificent: nec itidem est, quod mirentur, si iuris Pontificij Doctores plerique testentur id, quod Modestinus iureconsultus docuit, legem Iuliam de ambitu, Romae locum non habere, quodiam sicut Magistratum creatio ad Principis curam pertinet, non ad populi fauorem: sic etiam leges, & decreta de Simonia iure tantum Canonico interdicta, in Pontifice Romano, cuius in Ecclesia summus est Principatus, locum non habent.

CAP. XIII

De veltigali ex beneficijs pendi solito, quod vulgo quindennium appellant.

A Nimaduertendum est, Hoc genus veltigalis, siue pensionis, originem ex annatis traxisse: vnde cepit etiam introduci vlt, & consuetudine Curiae Romanae, & deinde Constitutionibus Pontificijs confirmatum est. Quis vero primus Pontifex hoc pensionis genus solui iuuenit in Ecclesia, mihi quidem certo non constat. Verisimile autem videtur, primum fuisse huius nominis Paulum II. Cuius extat Constitutio de quindennijs ex beneficijs soluentibus soluentibus, sic incipiens: *Decret Romanum Pontificis.*

Primo quaeritur, Quodnam genus veltigalis siue pensionis quindennium appelletur, & cuius rei gratia sit institutum? Respondendum est, quindennium esse introductum in locum Annatae: nam beneficia saepe auctoritate Pontificia annectuntur Collegijs Clericorum secularium, vel Religiosorum, adolescentium Seminarijs, Hospitalibus Domibus causa pietatis extractis: quae quidem amplius non vacant, quoniam vniuersitas non moritur. Vnde elapsis quindennium annis a tempore quo sunt beneficia his Communitatibus coniuncta, solvantur Romano Pontifici, & eius Apostolicae Camerae, siue Pontificio Fisco integri fructus vnus anni, vel saltem dimidia eorum pars, ac propterea quindennium, est pensio, quae decimoquinto quoque anno, Rom. Pont. soluitur ex beneficio gratia alicuius Communitatis, vel Collegij dimisso, & annexo. Nam quia vniuersitas perire non solet, beneficium certae Communitati coniunctum, & adhaerens, fingitur decimoquinto quoque anno vacare, & denuo conferri, & ideo exactis quindennium annis, solvantur Pontifici fructus vnus anni, vel dimidia eorum pars, perinde, ac si beneficium vacaret, & collatum denuo altari esset, ne Pontificij ministri ob perpetuam beneficiorum, cum huiusmodi Collegijs coniunctionem, annatae fructibus fraudarentur. Secundo quaeritur, Ex quibus beneficijs Communitati coniunctis quindennium debeatur? Respondeo, ante Sixtum V. solui solitum fuisse ex beneficijs auctoritate Apostolica alicui Communitati, siue Collegio coniunctis: Postea vero addita est ab eodem Pontifice Constitutio, qua sancitum est, ut quindennia soluantur ex quibuslibet beneficijs dimissis, & vnitis causa alicuius Collegij, vel vniuersitatis auctoritate Legatorum, vel Nunciorum Apostolicorum, vel etiam Ordinatorum cuiusvis loci.

Tertio quaeritur, An id genus pensionis nonnulla Simonia saepe vitetur? Respondeo, minime, quia in locum annatae successit, Annata vero omni Simoniae vitio liberam esse diximus ex parte superioris. Obicit, Collegia, quorum causa beneficia sunt annexa, vel dimissa, coguntur soluere decimoquinto quoque anno dictam pensionem: at videtur a ratione alienum, ut quis ex suo beneficio, tam ante legitime acquisito soluat pensionem? Respondeo, nullam fieri hac in parte iniuriam Collegio, Seminario, vel Communitati, quia perinde est, ac si decimoquinto quoque anno beneficium vacaret, & denuo conferretur. Item posset Pontifex Collegio beneficium annectere ad tempus: posset & pensionem imponere in singulos annos soluendam. Postremo, contra aequitatem non est, ut beneficium Collegio conferatur, reservante iustus de causis Rom. Pont. fructus decimoquinto quoque anno colligendos: nam beneficiorum bona sunt bona Ecclesiae: ergo potest Pontifex ea conferre reservatis fructibus certorum annorum.

Quaeritur, An quindennium solui debeat ex quibusvis beneficijs in perpetuum vnitis, & annexis, t. g. aliquando beneficium annectitur certae Ecclesiasticae dignitati, veluti Praepositurae, Decanatus, quo fit ut quemadmodum dignitas est perpetua, ita beneficium illi in per-

peruam adherens? Respondeo, Pontificias Constitutiones de quinquennio soluendo, hæcenus edictas locum habere tantum modo in beneficijs quæ annexantur Collegijs, Capitularibus, quæ vocant, Conuentibus, Societatibus, Congregationibus & generatim quibuslibet locis causa communis pietatis extractis. Atqui Pontificia, dicit aliquis, Constitutiones decreuerunt, vt quinquennium soluatur ex beneficijs in perpetuum vnitis? Respondeo, in Pontificijs Constitutionibus dici, vt soluatur ex beneficijs vnitis in perpetuum non amplius vacaturis. Tale autem beneficium non habetur quod est vnitū dignitati: nam licet sit in perpetuum annexum, vacare tamen solet vna eum ipsa dignitate cui annexum, & adheret.

Quinto queritur, An quinquennium summo Pontifici debeatur ex beneficijs, quæ ante Martinum V. fuerunt Collegijs annexa, & conuincta? Respondeo, in Constitutione Pauli II. solum præcipere Pontificem, vt quinquennium soluatur ex beneficijs vnitis post Martinum V. locis causa pietatis extractis. Sed extat alia Constitutio Pauli III. quæ incipit, *Decens esse*: qua decernitur, quinquennium deberi ex omnib. beneficijs cuiuslibet loco, Collegio, vel Communitati ante Martinum V. annexis.

Sexto queritur, An quinquennium soluendum sit ex beneficijs Collegio vnitis, sed in distributiones quotidianas conuersis: item, An debeatur ex beneficijs vnitis, ad ius tamen Patroni laici pertinentibus. Præterea, An etiam ex beneficijs vnitis loco, Collegio, vel Congregationi, priuilegio, vel aliquo alio speciali iure exemptis? Respondeo ex omnib. hæc beneficijs, siue Sæcularia sint, siue Regularia, siue Manualia. siue sæcra, quinquennium deberi; id enim aperte constat ex ipsis sanctionibus. Pontificijs de soluendo quinquennio constitutis.

Septimo queritur, An cætera alia Pensionum genera, quæ solui solent in Curia Romana pro diplomatis Pontificijs habendis, ab omni Simonie labe sint libera? Sciendum est, in Curia Romana, antequam Pontificia diplomata concedantur, quibus beneficiorum possessionem consequuntur ij, quibus sunt auctoritate Apostolica collata, multa solui, quæ vulgus appellat taxationes, compositiones, communia seruicia: quæ nonnulli damnant, & improbant, eo quod Simonie speciem habere videantur, ac si pecunijs beneficia nundinentur, qui impetrant cum tamen gratis dari deberent.

Cæterum libera sunt hæc à Simonie crimine, quia dantur tanquam stipendia ministro: in Curia Romana laborantium. Possunt quidem in his pecunijs exigendis & accipiendis sic in alijs reb. humanis, abusus irrepere, & vitia contingere, non nego; vt si ministri auari, & laici cupidi, immoderatas pecunias exigant: si minus aliqui idonei, & apti Clerici, quod pecunias habent, ad beneficia delignantur: si digni, & idonei, quia pauperes sunt ideo negligantur, & à beneficijs excludantur, si ecclesijs præficiantur, qui plus pecuniarum obtulerint, vel à quibus plus lucri expectatur, & alia generis eiusdem. At propter abusus hominum, male scilicet vtentium rebus aliqui per se bonis, res ipsæ damnandæ non sunt: sed abusus, si qui irrepserint, submouendi, & præciendi.

CAP. XIV.

De alijs quibusdam, quæ beneficiarij, ratione sui muneris, & officij, præstare iure coguntur.

PRIMO queritur, An omnes in vniuersum Beneficiarij pensum precationum, quæ horæ Canonice nominantur, ex soluere debeant? Hanc questionem supra suo loco diluimus, cum de Horis Canonicis ageremus, *par. i. li. 10. cap. 3.*

Secundo queritur, An Clericus Ecclesiam Parochialem adeptus, debeat fieri Sacerdos intra annum, à die, quo

professionem estactus, computatum. Item, An omnis Beneficiarius intra certum tempus iure cogatur cum Ordinem suscipere, quem beneficium requirit? Hæc etiam duas questiones supra dissoluimus.

Tercio queritur, An Beneficiarius etiam solis minoribus Ordinibus initiatus, deferre debeat primam Clericorum tonsuram? Respondeo, debere. *e. Ioannes. de Cleric. tonsur. §. ca. 1. De Bigamis, in sexto.* Quæres, An qui eam non gestat, lethaliter delinquat? Respondeo, grauius peccare, iuxta communis opinio. nam Canones, & Decreta Pontificum id grauius, & seuerè præcipiunt: & in eos qui non parent admoniti, grauem poenam constituunt. Sed qualem tonsuram Beneficiarius debet deferre. Respondeo, quam prouincie mos patriæ, vel gentis approbat, & fetuat. Olim enim Clericorum in lumina capitis parte capilli radebantur, & ab inferiori parte vsque ad aures tondentur, & capillorum circulus inter vtramque partem pendebat: quæ consuetudo etiam alicubi recinetur. Alii vero solum in vertice capitis raduntur capilli, & deinde totum caput æqualiter tondetur. Sed quæ poena Beneficiarijs aliter facientibus imponitur in Iure? Respondeo Sixtum V. Constitutionem edidisse, sic incipientem: *Cum sacrosanctum n. vi. præcipit Pontifex, vt omnes Beneficiarij tonsuram Clericorum gestent: alioqui sine vlla monitione, citatione, iudicis decreto, aut ministerio, ipso facto priuati declarantur, ita vt ipsa beneficia vacare dicantur, quæcumque habent. Dubitatur etiam, An Beneficiarij barbam, aut comam nutrire prohibeantur? Respondeo, prohiberi, *e. Si quis, & c. si Clericus de vita, & honest. Cleric.* Alicubi tamen hoc est consuetudine abrogatum. Solet nihilominus Ordinariorum Constitutionibus, præcipi, vt Beneficiarij presbyteri à superiori labro barbam ita tondent, vt impedimentum non afferat sumentibus, corpus, & sanguinem Domini, cuius sumpcionis non leue aliqui incommodum presbyter pareretur.*

Quarto queritur, An Beneficiarij habitu, & veste Clericorum vti communi iure cogantur? Respondeo, cogi eos habitu vti honesto, & moderato, quem Clerici deferre consueuerunt. *e. Clerici, de vita, & honest. Cleric. Clem. Quoniam, eod. tit.* Quæres, An lethali crimine se obstringant ii Beneficiarij, qui solitam Clericorum vestem non deferunt? Respondeo, eos grauius peccare, nisi iustam allunde habuerint excusationem. Clementina nuper allata, fiti etiam perceptione ad sex menses priuatur simplex beneficiarius, qui sine iusta, & debita causa gestat vestem virgatum, vel partitam, id est, diuersis coloribus distinctam. Qui vero beneficium curæ animarum conuictum, vel dignitatem, vel Personatum habens eodem vestis genere vtitur, priuatur fructibus ad annum obtinendum efficitur ineptus. *Ac vt docet Siluester verbo, Clericum. 2. nu. 2. versic. Tertio peccat.* si Beneficiarius sine iusta causa, veste virati viridi, vel rubro colore affecta; lethalis peccati reus est, nisi aliud Magistratus honoris, vel publici alterius muneris, & officij ratio postulerit. idem, inquit, iuris est si vestem admodum pretiosam deferre consueuerit: qualis esset, si omni ex parte serica esset. Constitutionibus Ordinariorum sancit i solet, vt Clerici sacris Ordinibus initiati, aut beneficium habentes Ecclesiasticum, vtantur veste tam exteriori, quam interiori, talari, hoc est, vsque ad talos demissa, & nigri coloris: vt abstineant itidem a caligis laicorum more confectis, aut crepidis inaniter incisis, sed simplicibus, & integris vti debent: Ne gestent camisas ad manum, vel collum arte elaboratas, aut crispas, aut vt vulgus dicere solet, lactucatas: Item vt pallium habeant Clericorum Ordini conueniens, quo vtatur contra pluuia, & frigoris incommoda, & semper cum talari tunica: & vt pileis itidem simplicibus vtantur. Præterea, vt abstineant à pretiosioribus pellibus, & alijs odorum suauitatibus. Item ab omni mulæ, aut equi instrumenti vsu, quale solet esse ornamentum aurum, argenteum vel ferreum.

Extat etiam Constitutio Sixti V. cuius initium est: